

constituere, idcirco praedixit caetera et pervenit in fine ad constitutionem scholae; sic enim dicit: *Constituenda est a nobis dominici schola servitii*. Deinde similiter fecit, cum de generibus monachorum scripsit. Quia voluit ordinem coenobitarum monachorum describere, ideo isto modo clausit, ait enim: *His ergo omissis ad coenobitarum fortissimum gentis adjuvante Domino veniamus*. Et iterum de abbate ita fecit; quia voluit illum sollicitum tam de suis ovibus, quam etiam de se facere, ideo, quamvis praedixit caetera, tamen ita conclusit, ait enim: *Et ita timens semper futurum discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus*, et reliq. Et hoc sciendum est, quia in eo, quod dixit: *Omnia fac cum consilio*, nihil praetermisit, ut sine consilio aliquid agat; nam in duas species dividit S. Benedictus ea, quae agenda sunt in monasterii utilitatibus, i. e. in praecipua et minora, hoc est, si praecipua fuerint, agenda sunt cum consilio omnium fratrum, si vero minora, cum consilio tantum seniorum. Et hoc etiam sciendum est, quia ideo diximus superius, ut consiliatores caritatem habeant inter se et cum abbate, eo quod solet contingere, ut ille, qui potest melius dare consilium, aut pro abbate, quia eum odit, non dat bonum consilium; similiter etiam non dicit bonum consilium pro illo suo fratre, qui¹⁾ eum odit, ut ille nesciat bonum consilium. Item attendendum est, ut tempore suo debeat manifestari consilium, quia si ante tempus manifestatum fuerit, non erit postmodum utile, eo quod aut non perficietur unquam, aut si perficietur, tarde perficietur, aut, frangetur ipsorum consilium.

Cap. IV.

QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM.

Apto enim et congruo loco B. Benedictus hoc capitulum dicit, cujus clavis est: *Quae sunt instrumenta bonorum operum*, eo quod superius quasi fundamentum posuit, cum

¹⁾ quia. Codd. Tegernss. et Fürstzell.